Arrest
du Parlem.t de Paris

Qui adjuge a l'Abbé et Religieux de S.t Germain des prez une male dans laquelle s'etoit trouvé quelq.s fausses monnoyes saisies sur un savoyard logé dans le faubourg saint Germain.

Du 13 Fevrier 1342.

Cum Procurator Religiosorum Abbatis et Conventus Sancti Germani de Pratis juxta Parisios in Curiae nostrae proposuisset quod Cum Joannes de Momond Sabaudiae circa festum Nativitatis Domini novissime preteritum in quodam hospitio in villa Sancti Germani de Pratis in omnimoda Justicia dictorum religiosorum hospitatus fuisset, Ibidem quamdam Maletam

in qua Erant octoginta Librae in pecunia Numerata posuisset ac etiam demisisset Post modum quod Idem Joannes ipso hospitio dicti Loci Existente ad halas et in halis parisiensibus causa mercandi seu negociandi Intrasset Et quia repertus fuit falsam monetam Saisitus et Eandem falsam Monetam allocans Ipse per certos Servientes nostros captus et in Castelleto nostro parisiensi positus et ductus, ac per nostrum parisiensem Praepositum seu Ejus locum tenentem ob Causam praedictam justiciatus Extitisset ipso in carceribus dicti Castellati ob causam praedictam detento locum tenento dicti praepositi per certum Servientem nostrum dictam maletam cum dictis octoginta libris ad dictos Religiosos pertinentibus in dicto hospitio in omnimoda justicia dictorum religiosorum capi fecerat et Ea dictis religiosis reddere recusabat, indebite et Injuste in dictorum religiosorum et suae

jurisdictionis prejudicium; Indicebat Procurator predictus requirens praedictam maletam cum dictis octoginta Libris et quidquid Erat in dicta maleta tempore quo captus fuit per dictum Servientem in hospitio praedicto Iisdem Religiosis restitui atque reddi, dictumque praepositum seu Cjus locum tenentem ad hoc condemnari dicens hoc fieri debere plures rationes ad hoc proponendo, factaque ex parte dictorum Religiosorum petitione seu requesta praedicta et in scriptis Curiae nostrae tradita Et postmodum dicto praeposito Exhibita, Procurator noster deffensionem dictae Causae suscipiens proposuisset quod Cum dictus Joannes per Servientes nostros in presenti maleficio captus et per gentes suas justiciatus fuisset Ipseque domicilium dictorurum Religiosorum non habuisset dicta maleta et quidquid in fuerat ad nos pertinere debebat, praesertim Cum dictus Johannes Sponte antequam Esset judicatus Sibi

dictam maletam apportari mandavisset, Proc.ore dictorum Religiosorum replicante quod re vera dictus locum tenens praedicto joanni de dicto crimine convicto dictam maletam in dicta justicia dictorum Religiosorum mandari et capi et Inde levari et sibi apportari fecerat Licet ad dictos Religiosos tanquam ad altos Justiciarios ex quo praefatus Joannes pro dicto casu criminali et dannabili captus et justiciatus fuerat pertinere deberet, —
Auditis Igitur et diligenter attentis rationibus propositis hine inde audita Etiam relatione servientis nostri qui dictam maletam in Terra et justicia dictorum religiosorum de precepto dicti locum tenentis ceperat conside-ratis omnibus quae nostram Curiam movere poterant et debebant per Curiae nostrae Arrestum dictum fuit praedictam maletam et quidquid in Ea Erat tempore quo dictus serviens Eandem Cepit in hospitio praedicto tanquam ad Eos pertinentem Causa confiscationis praedictae praedictis Religiosis

fore restituendam et restituentur eisdem nonobstantibus propositis ex adverso die decimo quinto februarij anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo secundo,